



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Sacramentalis confesio multas ex parte continentis præsupponit
conditiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

*- Sacramentalis confessio multas ex parte
confitentis præsupponit conditiones.*

Confessio sacramentalis, ex parte confitentis, potest defectibus subiacere: quoniam multas exigit conditiones, quæ his versibus continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,

*Atque frequens, nuda, discreta, libens,
vereconda, (ta.*

Integra, secreta, lacrimabilis, accelera-

Fortis et accusans, et sit parere parata.

Quas, quoniam libellus iste propter confessionem fit, declarare intendimus.

Prima ergo conditio est, ut confessio sit simplex, hoc est non composita. Esset autem composita, quando artificiosè narrantur commissa: ita ut vera quidem dicantur, sed ea arte ut vel non ponderentur à confessore, vel delectent suauitate vanæ eloquentiæ: hoc enim manifestum peccatum contineret.

Secunda, humilis: quantum ad intellectum; recognoscendo se miserum peccatorem, & indignum venia. quantum ad affectum, affectando per subiectionem qua confitendo se subiecit confessori, subiceret se ipsum intus diuino iudicio, non in furore, sed in iustitia Iesu Christi crucifixi propter nos: quantum ad linguam in modo etiam loquendi, ut exponat sua peccata, ut reus cum reuerentia & tremore quasi coram Christo, quantum ad actus exteriores, ut genuflexus omnis vtriusque sexus, & capite (si sanitas patitur) disco operto vir consteatur ob reuerentiam Christi & sacramenti. Omissio siquidem cuiuscunque horum sine peccato non est; nisi causa ratio-
nabilis